

Dissertatio Theologica, De Lapsu Primorum Hominum

Francofurti ad Viadrum: Literis Christophori Zeitleri, [1709]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854776363>


Druck Freier  Zugang





94

Fa-1092 (94.1)



9
1

DISSERTATIO THEOLOGICA,
DE
LAPSU PRIMORUM HOMINUM,

Quam

AUSPICIIS DIVINI NUMINIS
IN ALMA VIADRINA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

AUGUSTO ET SERENISSIMO REGIO PRINCIPE AC DOMINO

FRIDERICO WILHELMO,

REGNI BORUSSIÆ, atq; ELECTORATUS BRANDENBURGICI
HEREDE &c. &c.

P R Æ S I D E

BARTHOLDO HOLTZFUSS,

THEOL. D. & PROF. ORDIN. ac V. D. M.


Fautore & Præceptore suo omni observantia colendo,

D. XXIX. August. A. O. R. MDCC IX.

Placido Eruditorum Examini
fistit


PETRUS BALJAR,

Manheim. Palatinus.



FRANCOFURTI *ad VIADRUM,*

Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.



I.



Rotoplastorū erat, secundū legē a Deo præscriptam, vitam perpetuo instituere & promissum præmium ex impletione conditionis fœderalis a Deo expectare: idque eo magis, quia dotibus ad perseverandum in statu illo felici donati, auxilio quoque divino instructi erant, quo peccatum & lapsus, adeoque violationem fœderis illius facile evitare potuerunt, & ex præcepto Dei Gen. 2, 16. 17. debuerunt. Verum, prohi dolor! præcepti divini immemores eidemque inobedientes, diaboli vero dicto audientes, contra Deum gravissime peccaverunt & fœdus cum ipsis ininitum violarunt.

II. Hebraice vocatur חַטָּאת אֲרָם הַרְאִשׁוֹן Græce non solum, generaliter, appellatur ἀμαρτία; sed præterea etiam παραβάσις, παρανομία, παράπτωμα: Latine Peccatum, Transgressio, Prævaricatio, Delictum, Lapsus, Rom. 5, 12. 14. 15. 17. 18. 19. a Kabbalistis Truncatio Achduth, vel Malcuth, vocatur, qui & de Adamo dicunt שקצץ אחריות vel מלכות quod absciderit. s. truncaverit Uni-

* (4) *

tatem: vel Regnum; quia primi Parentes, hoc peccato, Regno Dei se subtrahere & ab imperio Dei Independentes esse voluerint: quo nonnulli referunt verba Gen. 3, 22. ubi *אדם* reddunt: *a se ipso*.

III. *Causa* itaque *efficiens principalis* lapsus fuit ipse *Homo*, qui tot ac tantis dotibus a Deo instructus, auxilio, quo persistere facile potuisset, munitus, præcepto divino prohibitus, nulla necessitate, neque a natura, quia libero arbitrio præditus erat; neque a Diabolo, qui consilium quidem dare, cogere autem non poterat; multo minus a Deo, qui ad obediendum idoneum reddiderat, & lapsum severe vetuerat, pressus, voluntarie, liberrime, adeoque foedisime contra Creatorem suum peccavit.

IV. Non Deum, sed ipsum hominem, abusu liberi Arbitrii, & quidem principalem *Causam* fuisse constat (1) ex severo Dei Interdicto, Gen. 2, 17. *Dominus præcepit homini, dicens: De Ligno Scientiæ boni & mali ne comedas.* (2) ex poenæ comminatione si peccaret: *quocumq; n. die comederis ex eo, morte morieris.* (3) ex disertâ Mosis assertione Gen. 3, 6. quod non obstante prohibitione divina, *mulier de fructu ligni tulit, & comederit, deditque Viro suo, qui & ipse comederit.* (4.) ex acri reprehensione Adami, Gen. 3, 9. *Adam, ubi es? it. Quis indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? Mulieris f. Evæ, v. 13. quare hoc fecisti? (4.) ex poenæ gravis inflictione, facta tam serpenti, Gen. 3, 14. 15. Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ. &c. quam mulieri, v. 16. Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: in dolore paries filios. &c. & Adamo v. 17. Quia audisti vocem uxoris tuæ & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledi-*
ta

* (5) *

Ab terra in opere tuo. &c. (5.) ex aliorum Scripturæ locorum testimonio & Consensu, Rom. 5, 12. Per unum hominem peccatum in mundum intravit & per peccatum mors. v. 19. Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. 1 Cor. 15, 22. in Adam omnes moriuntur. Hof. 6, 7. Adam transgressus est pactum. Eccles. 7, 29. Deus fecit hominem rectum; ipsi quæsiwerunt sibi ratiocinia multa. add. 2 Cor. 11, 3. 1 Tim. 2, 14. hinc liber Sap. c. 2, 23. 24. tradit: Deus creavit hominem inextermibilem & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum; Invidia a. Diaboli mors introiit in orbem terrarum & c. 1, 13, 14. Deus mortem non fecit, nec latatur in perditione Virorum: Creavit n. ut essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum. Eccles. 15, 11. 12. Non dixeris: Per Deum abest: quæ n. odit, ne feceris. Non dicas: ille me decepit: non n. necessarii sunt ei homines impii. v. 14, 15. 16. Deus ab initio constituit hominem & reliquit illum in manu Consilii sui. adjecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te. &c. v. 18. Ante hominem Vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. v. 21. 22. Nemini mandavit impie agere & nemini dedit spatium peccandi: non n. concupiscit multitudinem filiorum infidelium & inutilium. (6.) ex Scripturæ dictis, quæ testantur, Deum non velle peccata, ut Ps. 5, 5. Non Deus volens iniquitatem tu es. v. 7. Odisti omnes operantes iniquitatem. Hab. 1, 13. Mundi sunt oculi tui ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Joh. 8, 41. Vos facitis opera Patris vestri. v. 44. Vos ex Patre Diabolo estis --- ille homicida erat ab initio. Jac. 1, 13. Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus n. neminem tentat. 1 Joh. 3, 8. Qui facit peccatum, ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat. add. Ps. 11, 5. 6. Ps.

45, 8. 1 Joh. 1, 5. 6. 7. Jel. 65, 12. hinc (7.) Patres s. Primitivæ Ecclesiæ Doctores unanimiter docuerunt, Adami peccatum non esse a Deo, neque ex naturæ necessitate, sed ex hominis libertate, quorum loca infra indicabimus, contra *Manichæorum* furores, hic potissimum vitandos.

V. *Causa προηγουμένη*, s. interne movens fuit *Affectus*, sed a serpente irritatus, tum superior, similitudinem Dei affectans, tum inferior, fructum vetitum appetens. *Causa προκαταρκτική*, externe movens, sed per accidens, fructus arboris vetitæ, qui oculis desiderabilis, & gustui delectabilis videbatur. Gen. 3, 6. *Occasio* fuit præceptum Dei de abstinendo ab arbore scientiæ boni & mali. quo accommodari potest locus Rom. 7, 11.

VI. *Causa moralis*, lapsum svadens & tandem persuadens fuit *Serpens*. Gen. 3, 1. 14. 2 Cor. 11, 3. 14. Apoc. 12, 3. 7. 9. Cujus nomine hic non describitur *Appetitus sensitivus*, ut voluerunt *Philo Judæus*, *Origenes*, *Paracelsus*, aliique, qui historiam tentationis & lapsus Adami in allegoriam convertunt; quibus repugnat, quod Gen. 3, 1. de Serpente dicitur, quod fuerit *astutissimus omnium bestiarum agri*; & quod ibid: v. 14. Serpenti pœnæ loco inflictum legitur; *quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animalia & bestias terræ; super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Unde Patres Origenis opinionem rejecerunt, & Genesin literaliter & historice hic intelligendam tradiderunt. Vid. Augustin. de Genesi ad literam.

VII. Execrandus vero est error *Ophitarum*, qui delirarunt, ipsum Christum fuisse serpentem hunc, Adami

Adami & Evæ deceptorem; quare & serpentem aluerunt, coluerunt & sapientiæ in homine auctorem contenderunt, & vim ac potentiam quandam divinam ei tribuerunt, nec panem Eucharistiæ prius sanctificatum putarunt, quam serpens ille evocatus è spelunca, eum attigisset & gustasset: vid. Augustin. de Hæres. c. 17. & in eum Danæum.

VIII. Nec probanda est *Alcimi Aviti*, Episcopi quondam Viennensis, opinio, quæ fingit, Serpentem instar formosi juvenis Evam blandissimis verbis compellasse, atque ad Venereas voluptates incitasse:

O felix, mundiq; decus pulcherrima virgo,

Ornat quam roseo præfulgens forma pudore.

Tu prima & certa voluptas,

Solamenque Viri sine qua non viveret ipse.

Cui Eva verbis non minus blandis responderit:

Suaribus, o pollens Coluber dulcissime, dictis,

Quid vero mortem appellet, doctissime Serpens,

Pande lubens, rudibus nobis incognita res est.

Post pauca: *Rursum etiam apparens formoso corpore virgo*

Allicit ardentem obscæna ad gaudia visus.

IX. *Judæi* quidam, & inter eos *Aben Esra* in Commentar. in Gen. 3. It. *R. Isaac Abraham* in Munnimine Fid. l. 1. c. 12. *R. Lusitanus* in Colloq. Mittelburgensi fol. 148. volunt merum & nudum Serpentem adfuisse, qui erecta forma inceserit, & loquendi facultate præditus fuerit. *R. Isaac Abarbanel* in Gen. 3. præterea addit, nullum omnino colloquium inter Evam & serpentem intercessisse; Sed Serpentem in arborem ascendisse, de fructu ejus comedisse, sicque re ipsa, non verbis, docuisse, arborem hanc mortiferam non esse.

X. Ut

XI. Ut v. hi merum serpentem hic adfuisse volunt; Ita è contrario quidam Christiani, *Cyrillus. Steuchus Eugubinus* solum Diabolum sub serpentis carne & larva apparuisse existimarunt; *Cajetanus* ne externam quidem serpentis speciem præ se tulisse Diabolum opinatus est.

XII. Nos communiorem sententiam amplectimur, sc. Diabolum serpente tanquam Instrumento in hac tentatione usum esse. Nam serpentem naturalem adfuisse apparet ex Gen. 3, 1. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* ubi Serpens non cum Spiritibus sed animalibus comparatur. & v. 14. Ubi Deus ad serpentem ait: *quia fecisti hoc, maledictus es, inter omnia animantia & bestias terræ; Super pectus tuum gradieris & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.*

XIII. Diabolum autem moralem hujus Lapsus Causam fuisse, ipse Christus innuit Joh. 8, 44. Ubi illum *homicidam ab initio*, vocat; Item Paulus 2 Cor. 11, 3. *Timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua,* &c. de quo v. 13. ait, *ipse Satanus transfiguratur se in Angelum lucis.* quem propterea Johannes Apoc. 12, 3. 7. 9. appellat, *Draconem, item Draconem magnum & Serpentem antiquum, qui vocatur Diabolus & Satanus qui seducit universum Orbem.* Quod & loquela huic tentatori tributa evincit. Atque hoc non pauci Judæi etiam fatentur, qui hunc Dæmonem vocant *Sammaelem* vid. *Menass. ben Israel de Fragil. hum. S. 5. n. 3. p. 40. 41. & lib. 3. de Resurr. Mortuor. c. 10. p. m. 329. it. R. Mos. ben Maim. More Nebuch. part. II. c. 30. R. Bechai in Gen. 3. v. 5. & 15. R. Mose Alshech in Commentar. in Legem fol. 13. quorum verba adducit Joh. à Lent. de Theol. Mod. Judaic. c. 10. §. 2. hinc Judæi*

* (9) *

Judæi Diabolum הַקְרָמוֹנִי *Serpentem antiquum* ap-
pellant.

XIII. Quoniam vero variæ dantur *species Serpen-
tum*; v. gr. vel *Repentes*, qui proprie Serpentes sunt;
vel *Alati*, qui & *Dracones* dicuntur; &c. Verisimillima &
Scripturæ convenientissima est sententia *Jos. Light-
footi*, *Jos. Medi*, *Simonis Patrik*, *Lyseri*, *Wegleiteri*, qui statu-
unt Serpentē, quo Satanahic usus est, fuisse ex genere
Alatorum s. *Draconum*, qui Hebraice שֵׁרָפִים & plur. שֵׁרָפִים
ignei dicuntur, cujus generis serpentum mentio sit
Num. 21, 6. 8. Deut. 8, 15. Jes. 14, 29.

XIV. Nam (1.) Apoc. 12, 7. 9. *Serpens ille an-
tiquus*, qui *seducit universum Mundum*, *Draco*, & *Draco*
magnus appellatur: de quo dictum fuerat v. 7. *factum*
est prælium magnum in cælo, *Michael* & *Angeli ejus prælia-*
bantur cum Dracone, & *Draco pugnabat* & *Angeli ejus*. &c.
imò v. 3. *Draco magnus rufus* vocatur; & v. 4. *Draco*
ante mulierem, quæ erat paritura stetisse, dicitur.
(2.) Apoc. 20, 2. legitur: *Et apprehendit Draconem, Serpen-*
tem antiquum, qui est Diabolus & *Satanas*. (3.) & quia hi
Serpentes nomen *Seraphim*, quin & *Igneum* quen-
dam fulgorem cum Angelis *Seraphim* communem
habent, inde Paulus 2 Cor. 11, 14. ad hanc historiam
& ad hunc Draconem digitum intendisse videtur,
inquiens: *Ipse Satanah se transfiguratur in Angelum lucis*,
quales sunt *Seraphim*, à splendore, fulgore & ardore,
ignei & flammantes, dicti Jes. 6, 2. hinc (4.) ex Ju-
dæis R. Bechai in Commentario in Gen. 3, 15. hunc
Serpentem Saraph appellat: *Serpens alibi appellatur Sa-*
raph, juxta nomen quo *Angelus etiam appellatur Saraph*.
(5.) Ea propter Eva eo facilius sibi persuasit, bonum
aliquem Angelum secum loqui, sicut Angelorum

B

com-

commercia cum hominibus integris frequentiora fuisse videntur.

XV. Inde verosimillima est sententia Autorum illorum, qui ex Gen. 3, 14. colligunt, Draconem hunc antiquum *erectum* incesisse, sed in pœnam seductionis hominum, dejectum, & pedum usu privatum esse: quales sunt ex Judæis R. Bechai, Salomon Jarchi, Elieser, Josua, alique; ex Christianis Basilius, Beda, Petrus Comestor; Lutherus, Hunnius, Kippingius; Junius, Pareus, Marefius &c.

XVI. Nec mirum videri debet Atheis, Tentatorem ore Serpentis *locutum* esse. Nam non solum Sacra Historia Num. 22, 28. refert, Asinæ Bileami os, forte Angeli ministerio, apertum, eamque locutam esse; Sed & Profana Historia exempla suppeditat, animalium, quæ locuta fuerint. Sic Plin. l. 8. c. 41. narrat, Serpentem more canis latrasse; & Valer. Max. l. 1. c. 8. de Mirac. §. 3. refert, Simulacrum Junonis Monetæ locutum: it. §. 4. Simulacrum Fortunæ bis locutū fuisse, & hæc verba protulisse: *Rite me, matronæ, vidistis, riteque dedicastis*: Julius Obsequens de Prodigis c. 38. narrat, bovem Priverni locutum fuisse; & c. 40. idem accidisse in agro Romano: it. c. 53. ubi ipsa etiam verba affert: *Roma, tibi cave*. Et Arimini canem locutum. Quin arborem Apollonium Thyan. allocutam: item quercum Dodonæam locutam esse.

XVII. Consummata v. astutia & versutia Tentatoris è multis enituit. (1) Quod Evam recens creatam, antequam experientia & usu longiori confirmaretur, aggressus est. (2) quod foeminam viro paulo imbecilliozem adortus est, quæ nondum producta

* (II) *

ducta erat, quando Deus Legem de abstinendo ab arbore scientiæ boni & mali, tulerat: (3) quod absentiam Adami captavit, eamque aggressus est auxilio, officiis & monitis viri destitutam. (4) quod animal callidissimum & ad instruendam fraudem aptissimum elegit; Nam serpentes etiam aliis locis ab astutia commendantur, Pl. 58, 5. 6. Matth. 10, 16. (5) quod in alloquio Evæ merum amorem erga Protoplastos simulavit, & quandam indignationem, propter interdictum divinum, quasi nimis severum, præ se tulit c. 3, 2. *Etiam ne præcepisse vobis Deum, ne comederetis, de omni ligno Paradisi?* & ad mortis mentionem à muliere factam amorem simulare perrexit & similitudinem cum Deo ac Scientiæ acquisitionem promisit v. 4. 5. *Nequaquam morte moriemini: Scit enim Deus, quod quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Hinc Apostolus 2 Cor. 11, 5. *emphatice dixit; Serpens Evam seduxit ἐν πανουργίᾳ αὐτῆς, in astutia sua.*

XIIX. Tametsi ergo Deus nullo modo *Causa* lapsus Adami fuerit, docendum tamen est, eum non contigisse cæca fortuna & casu, sed Deum Providentia sua circa negotium tanti momenti versatum fuisse, illudque direxisse, cum, teste Christo, Matth. 10, 29. *ne passer quidem in terram cadat sine Patre cæleste;* Operæ pretium proinde est, indicare, quo pacto divina Providentia circa lapsum hominis primi se gesferit.

XIX. Ea consistit in actibus sequentibus: (1) DEUS prævidit, primos homines à Diabolo tentatos lapsuros & peccaturos esse. (2) Lapsum hunc prævisum averfatus est. hinc (3) lapsum prohibuit, & homini, si laberetur, mortem minatus est, Gen. 2,

17. Quia tamen ex hoc malo, libere commisso, bonum educere se posse sciebat, (4) peccatum hoc infiniti intellectus sui perspicacia prævisum permittere decrevit & in tempore potentia hominis id permisit. (5) Naturam hominis conservavit. (6) in ipsa actuali commissione hujus peccati ad actum generali concursu concurrat. (7) peccatum hoc ad bonum direxit, ac determinavit, i. e. fines s. limites certos eidem posuit. (8) Severissime punivit; non tamen omnimoda abdicatione: quam Seducitori Diabolo, non a seducto homini inflixit; (9) Sed hominum lapsorum universorum misertus est, Joh. 3, 16. Rom. 5, 17. 18. 19. c. 11, 32. 2 Pet. 3, 12.

XX. Non itaque DEUS homini lapsuro *auxilium* ullum *subtraxit*, alioquin homo excusabilis esset: Nam quemadmodum domus subductis fulcris necessario corrui: ita, subtracto auxilio ad perseverandum necessario labendum fuisset; sicque Deus lapsus causa fuisset. Unde Ant. walæus Loc. Commun. Operum p. 215. recte inquit: *Quod privatur eo, quo sublato non potest non labi, id hominem excusabilem reddit, quemadmodum domus non potest non ruere, cui columina subtrahuntur.* Quocum consentit Pet. Molinaus Anat. Arminian. c. 6. §. 7. & comprobabat Hermannus Hildebrandus Declarat. Articulatorum p. 306. & 307. Præterea Lapsus desertionis, non desertio Lapsus causa est.

XXI. Tantum vero abest, ut DEUS Adamo gratiam ad persistendum in integritate subtraxerit, ut potius *auxilium* sine quo non perseverare potuisset, concessum conservaverit, & vires, quibus persistere poterat, sufficientissime dederit; quin, *auxilium* quo

quo actu perseveraret, aut vellet perseverare, imploratus priori addere paratus fuerit. Actus enim obedientiæ & perseverantiæ requisitus, ita relinquebatur, (sub Providentia & directione divina,) libero hominis arbitrio hujusque usui, ut homo auxilio divino concesso & *Gratia Sanitatis* indulta liberrime uti posset ac deberet.

XXII. Nec DEUS hominem ad peccandum aut lapsum ejus vel decreto efficaci, vel præmotione physica, in tempore, physice prædeterminavit: sicque lapsum procuravit: quia alias (1) DEUS homini concessum liberi arbitrii usum eripuisset, quod Bonitas divina credere vetat. (2) homini necessitatem peccandi imposuisset. (3) hinc homo reprehendi ac puniri non potuisset propter peccatum commissum; cujus contrarium tamen legimus Gen. 3, 9. 10. 11. seqq. & v. 17. seqq. (4) Nec Deus lapsum permisisse dici posset; Permissio enim infert præscientiam s. prævisionem actus mali ex libera & indeterminata creaturæ rationalis voluntate eventuri, sub hypothese, si Deus actum illum non impediatur, atque ad eum eliciendum concursum suum generalem non neget: quæ notio Permissiois divinæ cum notione physica Prædeterminationis conciliari nequit. (5) Accusationi de Deo, Auctore hujus lapsus, occasio daretur. Cui accusationi tamen vel minima suspicio præcludenda est. Videatur *Rob. Baronius* *Metaphys. General. Sect. 12. Disp. 2. Part. 2. n. 66. p. m. 377. 378. seq.* *Joh. Strangius* de *Voluntate & Actionib. Dei* circa *Peccat.* lib. 2. c. 9. p. 204. 206. 212. 213. 214. 229. *Franc. Junius* lib. de *Peccato Primo Adami* qu. 2. c. 4. *Bullinger.* *Decad. 3. Sermon. 10. fol. 163. 164.* *Baxter* *Method. Theol. P. 1. c. 14. p. 273. 281.* *Vossius* *Theol. Theol. Disp. 2. q. 1. th. 1. seqq.*

XXIII. *Subjectum* Lapsus fuit primo Eva, à Diabolo seducta, Gen. 3, 6. Unde 1 Tim. 2, 14. dicitur: *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* & 2 Cor. 11, 3. *Serpens Evam seduxit astutia sua.* Hæc tamen maritum, non quidem baculo ex arbore vetita avulso, tamdiu percussit, donec comederet, ut Judæi quidam fabulantur, teste Buxtorf. Synag. Jud. c. 15. p. 301. 302. Sed blandis verbis induxit, ut & ipse acciperet, & contra interdictum divinum comederet; quo factò, quia Adamus Caput generis humani fuit, lapsus hic consummatus fuit, eidemque maximum momentum & pondus adjectum fuit.

XXIV. Non enim putandum est, Adamum leviter, saltem levius Eva peccasse, e contrario Adamus Eva gravius peccavit 1. quia Adamus præceptum a Deo acceperat de abstinendo ab arbore vetita, Eva nondum creata. 2. erat sapientior & pro ratione sexus firmior. 3. erat caput mulieris, quam informare non vero illi obedire debuit. 4. Eva habuit hostem fortiorem, Diabolum, Adamus debiliorem, sc. conjugem. hinc 5. Deus Adamum severius reprehendit Evâ, Gen. 3, 17. *quia audisti vocem uxoris tuæ & comedisti de ligno vetito, maledicta terra in opere tuo.* &c. v. 22. *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis: illique mortem denunciavit.* v. 19. *Pulvis es & in pulverem reverteris.* 6. Hof. 6, 7. emphatice dicitur, *transgressi sunt pactum sicut Adam.* et 7. 1 Cor. 15, 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur.* conf. Rom. 5, 12. 14. 17. 18. 19.

XXV. *Objectum* s. *Materia circa quam, immediate* fuit præceptum positivum de abstinencia ab arbore scientiæ boni & mali, quod primi parentes, edendo
de hac

de hac arbore, transgressi sunt. *Mediatum* fuit Lex naturalis cordibus Protoplastorum inscripta, quam violatione præcepti illius positivi virtualiter transgressi sunt.

XXVI. *Forma* hujus Peccati est deflexio a Legge præscripta Gen. 2, 16. 17. seu Legis latæ transgressio, quæ ratione Legis positivæ consistit in esu de arbore vetita. In deflexione hac a lege primigenia comprehenduntur *certi gradus*, quibus peccatum hoc partem inchoatum, partem consummatum fuit. *Inchoatum* fuit *Inadvertentiâ* ad Verbum Dei, cui connexa fuit *addubitatio* de veritate comminationis divinæ, s. *infidelitas*, omnis defectionis radix, λογισμοῖς πολλοῖς, *ratiociniis multis*, sæcunda, Gen. 3, 3. 4. 5. 6. Eccles. 7, 29. *Consummatum* vero fuit *Affectatione Divinitatis*, indeque resultante Legem transgrediendi *proposito*, hujusque actuali *Executione*, Gen. 3, 4. 6. Nam ut Tentator Similitudinem cum Deo fallaciter promisit: *Scit Deus, quod, in quocunque die comederitis ex hoc ligno, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*: Ita Mulier appetitu Divinitatis in corde concepto, in executione de Verbis Dei dubitavit, lignum aspexit, manum extendit & comedit, v. 6. *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis, aspectuque delectabile; & tulit de fructu illius & comedit: deditque viro suo qui comedit.*

XXVII. *Finis*, respectu *Hominis* fuit, Status Superioris, quin Divinitatis, it. Scientiæ & excellentiæ majoris affectatio s. in Statum sublimiorem eVectio, Gen. 3, 4. 6. it. Appetitus sui satisfactio. Respectu *Diaboli* fuit, Protoplastorum a Deo averfio & alienatio, eorumque in societatem mali pertractio, adeoque

que vindicta contra Deum, lapsus malorum Angelorum justum judicem; Joh. 8, 44. Respectu Dei lapsum hunc permittentis fuit, partim imbecillitatis creaturæ manifestatio; partim gloriosa generis humani restauratio, Rom. 5, 17. 18. 19. *Si unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; Sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ; Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obedientiam justi constituentur multi. C. 11, 32. Conclufit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. I Cor. 15, 22. Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Joh. 3, 16, Sic DEUS dilexit mundum, &c. I Joh. 3, 8. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. add. Gen. 3, 15. coll. cum Rom. 16, 20. adeoque futura Bonitatis, Misericordiæ, Justitiæ ac Sapientiæ demonstratio.*

XXVIII. *Effectus peccati hujus immediatus fuit Dei offensio, indeque Reatus: atque ex ira DEI & hominis Reatu, Pœna, temporalis & æterna, denunciata homini, Gen. 2, 17. & c. 3, 19. Quocunque die comederis ex ligno hoc, morte morieris. Ubi Mortis nomine etiam omnes afflictiones, Morbi & arumnæ, tanq. peccati sequelæ comprehenduntur. Sigillatim Mulieris pœna duplex fuit: 1. dolores partus, & 2. Subjectio sub potestatem Viri, Gen. 3, 16. Viri pœna fuit, ut in sudore vultus vesceretur pane, terra propter ipsum maledicta, v. 17. 18. 19. Utrique communis pœna fuit, Ejectio ex Paradiso & à Ligno Vitæ præclusio flammeo gladio facta, ne hoc degustato vi-*
veret

veret in æternum, v. 22. 23. Cui poenæ conjuncta fuit
 Fœderis Naturæ abruptio, Sapientiæ & justitiæ origi-
 nalis, ac felicitatis promissæ amissio. *Effectus hu-*
jus peccati in posteris indicantur Cap. de *Peccato Ori-*
ginali.

XXIX. Quamvis vero primi Parentes trans-
 gressione Legis Paradisiacæ damnabiles facti sint, re-
 cte tamen Catholici Doctores contra *Tatianum, Seve-*
rum ac Rupertum Tuitiensem, asseruerunt, eos peccati
 sui veniam consecutos atque æternum salvatos esse. quia
 1. Deus cum hominibus lapsis Fœdus Gratiæ iniit,
 cujus primam de *Semine mulieris* Promissionem acce-
 perunt Gen. 3, 15. neque ullibi sprevisse leguntur.
 2. quia Gen. 3, 7. 8. non solum agnoverunt nuditatem
 suam, sed audiverunt quoque vocem Dei deambu-
 lantis in Paradiso, atque ad agnitionem peccati eos
 adducentis. 3. quia Eva liberos pariendo fidem ac
 fiduciam suam in Deum declaravit, Gen. 4, 1. *Possedi*
Virum וְיָדַעְתִּי וְיָדַעְתִּי v. 25. Sethum edendo dixit: *Posuit mihi*
Deus semen aliud pro Abel. Cujus fidei & spei Adamum
 etiam participem fuisse non dubitamus. 4. Adamus
 Luc. 3, 38. *filius Dei* singulari emphasi vocatur, quod
 cum ejus æterna damnatione consistere non potest.
 5. quia ad vitam æternam conditi erant, quam lapsi
 duce fide ac respicientia consecuti fuerunt.

XXX. Adjuncta sunt 1. *Possibilitas*: quæ ex
 ipso Lapsu constat: Quod enim factum est, id sane
 fieri potuit; s. Ab actu ad potentiam legitima est Con-
 sequentia. Fundamentum Labilitatis s. Possibilitatis
 Lapsus fuit Liberum Arbitrium Primis parentibus
 à Deo sapienter & clementer concessum, quo ut re-
 cte uti potnerunt ac debuerunt; ita & abuti potue-
 runt atque abusi fuerunt. Deus n. primos parentes

C

(ut

(ut actiones eorum in laudem vel vituperium, præmium vel pœnam imputabiles essent) Sapientiæ suæ convenienter, Legislatione regere, i. e. Officium illis præscribere, Legemque latam præmio & pœna sancire, morigeris præmium, immorigeris pœnam, proponere & denunciare; Sufficientibus item viribus, ad servandam legem & officium faciendum necessariis, instruere, actumque obedientiæ vel inobedienciæ (sub Directione sua) ita libertati eorum relinquere, voluit, ut, si dicto audientes essent, præmii participes fierent; sin legem datam violarent, pœnam denunciataam incurrerent. Neque ulla *Necessitas* à Deo, nisi *Obligationis*, quæ Arbitrii libertatem, ejusque vires sufficientes supponit, iis imposita fuit.

XXXI. Nec *Mutabilitati* s. Labilitati Protoplastorum, multo minus *Libertati*, causalitas peccati impingi potest: nam libertas primi hominis non imperfectio fuit, sed perfectio, quæ *per se* debuit esse Principium boni s. obedientiæ; Principium mali vero non nisi *per accidens* fuit. Sane nemo, cum ratione, v. gr. facultatem saltandi malam dicet, eo quod saltans abusu istius facultatis crurifragium sibi conciliare potest, vel facultas ambulandi culpanda erit, quod hic homo in loco prærupto in præcipitium incidere possit, vel facultas edendi, quod aconitum & cicutam edere possit; ut loquitur *Spanhem.* Syntagm. Dispp. Theol. Part. I. Disp. de *Lapsu Adami*, Th. 13. p. 129. 130.

XXXII. Adjunctum II. hujus Peccati est *Gravitas*, quæ elucet ex qualitate personarum, quæ tot beneficiis à Creatore affectæ, tot dotibus, ac *sufficien-*

ficienti auxilio, instructa, stare omnino poterant ac debebant. Ex levitate rei prohibita in tanta praesertim rerum ac fructuum copia, qua facile ab una arbore abstinere poterant; in primis (*temporis* ratione) recens demum conditi ac vix e manibus Creatoris sui egressi; & (*Loci* respectu) in Paradiso, loco deliciarum, & sacrario Dei, sub oculis, omnia videntis Dei collocati.

XXXIII. Quod sedulo observandum est contra *Judaeos* quosdam, qui, odio dogmatis de imputatione & Propagatione hujus peccati in posteros Adami, peccatum hoc plus justo extenuant, atque Abelis occisionem à Caino factam, peccatum multo gravius fuisse, censent. E quorum numero Auctor Nizzachon, ap. Münsterum in Evang. Matth. p. 125. ita loquitur: *Interroga haëreticum: (Christianum) Num quid vos creditis, quod Dominus impertit misericordias omnibus creaturis suis, & omnes proprietates ejus sunt pietas, & veritas erga creaturas suas? --- Id si ita est, quomodo ascendit super cor vestrum, quod venerit Dominus cum tanta severitate contra primum hominem, ut illum vinctum teneret propter rem exiguam, nempe propter morsum pomi unius, illumque perderet in hoc seculo atque in futuro, & non ipsum tantum, sed & omnes posteros ejus; qui tamen errans hoc fecit, cum nondum fuerit in eo cognitio, sicut dicitur: & aperti sunt oculi amborum, & cognoverunt quod nudi essent; hæc autem apertio fuit in oculo sapientia; quin in occisione Habel fuit transgressio mille partibus major, quam ista, & tamen non annexitur pœna tanta.* Non absimilia habet R. Isaac bar Abraham in Munimine Fidei part. I. c. II. Ad quam objectionem notandum, peccatum Adami ad modum delictorum, simpliciter contra leges commisorum, ubi proportio inter delicti materiam,

riam, & pœnæ gravitatem attendi solet, metiendum non esse; cum in pactis feudalibus etiam jus ad beneficium quandoque à certo articulo temporis, vel alia conditione exigui momenti suspendatur, qua neglecta, beneficium amittitur.

XXXIV. *Cognatum est Fabula de Pandora ab irato Jove ad Promethea, quod ignem è cœlo surripuisset, ad animandum, quem formarat, hominem, cum pyxide clausa, missa, quam Prometheus quidem oblatam accipere noluit, sed ad uxorem Epimethei detulit, quæ illam, pro innata sexui suo curiositate, aperuit, & morbos aliaque mala, quibus plena erat, in genus humanum effudit, sola Spe in fundo pyxididis relicta.* Unde Horat. Carm. l. i. od. 3. canit.

*Audax Japeti genus,
Ignem fraude mala gentibus intulit,
Post ignem Ætherea domo,
Subductum macies, & nova febrium,
Terris incubuit cohors.*

XXXV. Ad *Opposita*, præter *Judeorum* quorundam doctrinam de Levitate Peccati Adami, merito refertur *Manichæismus*, & *Priscilianismus* qui admisso *Gentilium*, *Persarum* & *Stoicorum*; nec non *Hæreticorum* *Valentini*, *Cerdonis* & *Marcionis*, de duobus *Principiis*, altero *Bono*, altero *Malo*, errore, Peccatorum *Originem* non *Libero Arbitrio Voluntatis*, sed *Principio Malo*, *Materiae*, ac *necessitati ex Astris* tribuit. quorum furor *Scripturæ locis*, hic §. 4. citatis, manifeste repugnat, ut pote quæ docent, *Diaboli invidia ac seductione*, & *hominis libera Voluntate Peccatum in Mundum introiisse*. neque ulla *Necessitas extrinseca*, vel *ex Astris*, vel à *Decreto Dei*, ut
Lapsus

Lapsus hujus productiva, admitti debet, quia alias Moralitas hujus Actus, ejusque imputabilitas in laudem & vituperium, Præmium & Pœnam prorsus extingueretur. nam *Ubi Necessitas, ibi nec pœna nec Corona.* teste Hieron. lib. 2. contra Jovin.

XXXVI. Hinc *Patres* unanimi consensu docuerunt, libera atque ab extrinseco Principio indeterminata Voluntate Primos Parentes hoc Peccatum commississe. Origenes contra Celsum l. 4. n. 213. fin. & 214. *De origine malorum, ait.* (Celsus), *sufficere apud vulgum de malorum ortu prædicari, quod non sint ex DEO, sed adhæreant materiæ, versenturque circa mortalia. Est quidem verum, mala non esse ex DEO, nam & noster Hieremias manifeste docet, quod ex ore Domini non egredientur mala cum bonis. Ceterum materiam quæ versetur circa mortalia, causam esse malorum falsum est nostra opinione. Nam sua cuique ratio causa est existentis in ipso malitiæ, quæ quidem malum est; male quoque actiones, quæ ex ea proveniunt. Nec aliud quicquam est malum juxta nostrum examen exquisitissimum. Tertullianus adversus Marcion. lib. 2. c. 8. Sicut Deus homini vitæ statum induxit; ita homo sibi mortis statum attraxit. Et hoc non per infirmitatem, sicut nec per ignorantiam, ne quid auctori imputaretur. Confessionem ipsius Adami urget idem l. 2. cont. Marc. c. 2. Nunquam figulo suo dixit, non prudenter definxisti me: confessus est seductionem, non occultavit seductricem, rudis admodum hæreticus fuit; non obaudiit, non tamen blasphemavit Creatorem, quem à primordio sui bonum & optimum invenerat. Basilii Orat. quod Deus non est Auctor peccati: scribit; Hominem & Angelum ratione liberi arbitrii, simili conditione creatos esse. Atque inter alia ita quærit & respondet: $\pi\acute{o}\theta\epsilon\upsilon\ \pi\omicron\upsilon\nu\pi\omicron\varsigma\ \acute{o}\acute{\alpha}\nu\theta\wp\omega\tau\omicron\varsigma;$*

ἐκ τῆς οἰκείας αὐτῆ προαιρέσεως. πόθεν κακὸς ὁ διάβολος; ἐκ
 τῆς αὐτῆς αἰτίας, ἀυθαίρετον ἔχων καὶ αὐτὸς τὴν ζωὴν, καὶ ἐπ'
 αὐτῷ κειμένην τὴν ἐξουσίαν, ἢ παραμένειν τῷ Θεῷ, ἢ ἀδοξια-
 θῆναι τῷ ἀγαθῷ. Chrysoſtomus c. 3. Gen. hom. 15. Nus-
 quam necessitas, nusquam violentia, sed electio & voluntas.
 Dedit solum (mulier Adamo pomum) & non coëgit, nec
 vim attulit. Et homil. de prohibitione arboris ad A-
 dam: Manifestum est, Deum noluisse Adam peccare, qui vo-
 luit eum ante delictum præstruere, quia & Adam potuit ser-
 pentem contemnere, qui Deo noluit obedire. Potuit Adam
 & Deo parere, quod noluit, qui consentire diabolo maluit;
 Utrumque enim habuit in sua potestate, & Deo parere, quod
 noluit, & diabolo non consentire, quod voluit. Unde & vi-
 tæ gloriam perdidit, & mortis periculum acquisivit. Atha-
 nalius de Incarnat. Verbi: Animadvertens rursus arbi-
 trium hominis utroque vergere, mature hanc gratiam quam
 ipsis dederat, legis & loci, præsidio munitum voluit, edictum-
 que præscripsit, ut si gratiam illam conservarent, probique
 permanerent, fruerentur in paradiso, sine mœrore, sine anxi-
 etate hilarissima vita, præter etiam id, quod ipsis in cælo im-
 mortalitas destinata erat. Sin autem prævaricationem fa-
 cerent, & ad improbitatem averterentur, cognoscerent se per
 mortem, pro ipsorum natura, corruptionem subituros, neque
 victuros in Paradiso, sed extra paradisum postmodum mori-
 turos, & in morte, corruptioneque permansuros esse. Au-
 gustin. l. de corrept. & grat. c. II. Tale erat adjutorium,
 quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non
 quo fieret, ut vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est pri-
 mo Adam. Et ibid. Tunc dederat homini Deus bonam vo-
 luntatem. In illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum.
 Dederat & adjutorium, sine quo in ea non posset permanere,
 si vellet, quia non deerat adjutorium per quod posset, & sine
 quo

quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, se permanere voluisset. Scriptor Hypognofticon. l. 3. Per velle malum (Adam) perdidit bonum posse, quia per posse bonum potuit vincere velle malum. Idem ad Syrac. 15, 14. quid autem est; Et reliquit eum in manu consilii sui, nisi dimisit eum in possibilitate liberi arbitrii sui? In manu enim possibilitas intelligitur. Ipsa est prima gratia, qua stare potuisset, si servare mandata Domini voluisset. Fulgentius de Incarn. & gratia. c. 6. Credimus & sine ulla carnis impugnatione a Deo Creatore omnium factum, Adam, magnaque præditum libertate, ita ut bonum facere in propria facultate haberet, & malum, si vellet, posset admittere: Prosper. lib. contra Collatorem c. 18. Rectum atque omni vitio carentem creatum esse hominem primum, in quo omnium hominum concreata natura est, dubitare fas non est, eumque tale accepisse liberum arbitrium, ut si auxiliantem sibi Dominum non desereret, possit in bonis, quæ naturaliter acceperat, perseverare quia vellet: & merito voluntariæ perseverantiæ in eam beatitudinem pervenire, ut nec vellet decidere in deteriora, nec posset. Sed ipso libero arbitrio, quo quamdiu voluit bonus mansit, a proposita sibi lege discescit, nec denunciata sibi mortis supplicium formidavit, deserens Deum, & sequens Diabolum: rebellis Domino Servatori, & inimico obediens peremptori. c. 19. Liberum ergo arbitrium, id est, rei sibi placitæ spontaneus appetitus, ubi usum bonorum quæ acceperat, fastidivit & vilescitibus sibi felicitatis suæ præsidis, insanam Cupiditatem, & experientiam prævaricationis intendit, bibit omnium vitiorum venenum, & totam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrieta-
te madefecit. Ecclesia Lugdunensis lib. contra Erig. Scotum cap. 3. (ap. Gilb. Mauguin.) p. 604. De pecca-

et quidem, sicut fides Catholica tenet, recte dixit (Erig. Scotus) quod à Deo non sit, quia nec voluit, nec præcepit, nec impulit hominem ad peccandum; imo et antequam peccaret, prohibuit eum à peccato et mortis supplicio terruit, ne peccaret, et post peccatum quasi suæ voluntati rebellem et contrarium juste punivit. Ex Patribus vide præsertim Tertull. lib. 2. adv. Marcion. c. 2. 3. &c. ex Theol. Ref. Stillingfleet Origines Sacr. lib. 3. c. 3. §. 4. 5. 6. 7. Jaquelot Conformité de la Foy avec la Raison Part. 2. c. 3. seqq. it. Examen de la Theologie de Mr. Bayle Part. 2. c. 9. 10. 11. 12. 13. &c. Quibus addeſis Parrhaſiana Tom. 1. N. 6. p. 303. 306. seqq.

XXXVII. Ex dictis constat, Lapsum Adami non fuisse Medium, quo Deus uti voluerit, s. quod per se intenderit, s. quod præparaverit ad Consecutionem finis alicujus, sed fuisse occasionem vel Materiam a Protoplastis suppeditatam, quam Deus ad bonum direxit & ordinavit. secundum Augustin. l. 22. de C. D. c. 1. *Tantæ sapientiæ, tantæque virtutis Deus est, ut in eos exitus s. fines, quos bonos et justos ipse præscivit tendant omnia, quæ voluntati ejus videntur adversa, & Enchir. c. 100. Non sineret bonus fieri mala nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene.*

XXXVIII. Christianorum est, DEO pro benevola ex Lapsu Adami per Adamum secundum Restauratione immortales gratias agere, non illum peccando, sed hunc bene agendo imitari, nec tam quid in nobis perdendis ille, quam quid in nobis restituendis hic valeat mature considerare, & Vita Christi doctrinæ conformi salutem nostram operari, quæ est Restaurationis nostræ ex Lapsu Adami

F I N I S.

1. Neuhaus de Fatis Adami.
2. Holzfus de Homine.
3. Idem de imagine Dei in hoc.
4. Hottinger de auxilio Dei et.
5. Hugonius de Concursu Dei.
6. Cauterius de Providentia Dei.
7. Holzfus de Providentia.
8. Ejus de Lapsu primorum hominum.
9. Eius de Angelis bonis et malis.
10. Tillemannus de Certitudine fidei.
11. Useel de Decalogo.
12. Hareus de tribus scitu necessariis.
13. Eius Continuo.
14. Massecorius de curiosa Theologia.
15. Schmidius de Utilitate Reliq. Evangel.
16. Mieg de Gratiae div. operibus.
17. Jablonski de indulgentiis.
18. Zulfinger de natura Studii Theologici.
19. Holzfus de Paenitentia.
20. Eius de conversione.

penitius de gratuita Justificacoe.
Morheim Trige Observacium.
Morheim de paupertate mentis
iuro de operariis in vinea.
Kirchmeier de Baptismo Ignis.
Petersen de job Sabactari.
Kirchmeier de negotio salutis circa infantes.
Meier ad Locum Luc: 23.
Lampe de Titulo Evangel: Johannis.
Pinus de aqua baptisni.
Petersen de Encanis Judaeorum.
Petersen de Lege Moisi per angelos data.
Petersen de Historia Pauli Apostoli.
Petersen de Barnaba etj.
Petersen de Deo suscitante Xthum ex mortuis.
Petersen Recmanni Analysis Cap: 9. ad Rom.
Petersen ad Locum ad Rom XII. 42.
Lampe de Ecclesia Apostolica.
Petersen de Stella ex Jacob.
Petersen de Benedictione sacerdotali.
Petersen de Blasphemi mysterio.
Petersen de Libamine in mensa sacra.
Petersen de fectis indamentis.

49. Dif. de Lectione legis solenni.


50. Elonerus ~~de ritu~~ ad Reg: 18.


51. Marck ~~de~~ ad 2 Reg: 8. 10.

52.



[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, likely a historical document or letter.]





ed quidem, sicut fides Catholica tenet, recte
Scotus) quod à Deo non sit, quia nec vol
nec impulit hominem ad peccandum; i
taret, prohibuit eum à peccato & m
ne peccaret, & post peccatum quas
contrarium juste punivit. Ex
Tertull. lib. 2. adv. Marcion
Stillingfleet Origines Sac
quelot Conformité de
C. 3. seqq. it. Exam
Part. 2. C. 9. 10. 11.
Tom. 1. N. 6.

XXXV
non fuisse
se inter
nem f
a P
d
constat, Lapsum Adami
Deus uti voluerit, s. quod per
præparaverit ad Consecutio-
nem fuisse occasionem vel Materiam
reditatam, quam Deus ad bonum
navit. secundum Augustin. l. 22. de
sæ sapientiæ, tantæque virtutis Deus est, ut
s. fines, quos bonos & justos ipse præscivit ten-
a, quæ voluntati ejus videntur adversa, & En-
100. Non sineret bonus fieri mala nisi omnipotens
de malo facere posset bene.

XXXVIII. Christianorum est, DEO pro bene-
vola ex Lapsum Adami per Adamum secundum Re-
stitutione immortales gratias agere, non illum pec-
cando, sed hunc bene agendo imitari, nec tam quid
in nobis perdendis ille, quam quid in nobis restitu-
endis hic valeat mature considerare, & Vita Christi
doctrinæ conformi salutem nostram operari,
quæ est Restaurationis nostræ ex
Lapsum Adami

F I N I S.

